Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1339

Quelle:
Copyright:

me meriti vitam, quam ad an. 1464. produxit, et opera habes in *Scriptt. Univ. Vien.* P. I. p. 139. ubi et Scripti noſtri ex *Cod. Mellicenſi* fit mentio.

Thecae anteriori praeſentis intus adſcriptum legitur: *Hunc librum teſtatus Monaſterio ſ. dorothee in wienna egregius doctor ſacre Theologie et arcium Magiſter narciſſus hercz de perching cuius anima requieſcat in pace qui fuit ſpecialis fautor monaſterij.* Fuit *Narciſſus* ab anno 1418. quater Philoſophiae Decanus, anno 1423 et 31. totam Academiam rexit, et ad D. *Stephani* Canonicus diem clauſit a. 1442. Unde liquet, Opuſculum *Haſelbachii* Codici ſerius inſcriptum fuiſſe.

CCCXLIII.

196 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 124. f. per duas columnas a diverſis ſcriptus et olim ad *Conventum Vienn. Fratrum Praed.* pertinens continet ſequentia: I. *Incipit Tractatus de actibus elicitis et imperatis de lecturis fratris leonardi de ualle brixinenſi ordinis predicatorum.* Orditur: *Prima inquiſitio. Que ſit voluntas deliberatiua uel deliberata* &c. De *Leonardo* hoc, ejusque opuſculis, agit *Quetifus* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 816. et 843. T. II. p. 823. ſed, quod jam de *Valle Brixinenſi* (Brixenthal in *Tyroli*) jam de *Vienna* dictum inveniret, immerito in duos ſecat. Congerenda itaque in *Unum* ſunt Scripta, quae ex *Lambecio* adfert, quaeque ſuo loco etiam hic recenſebuntur. Clarebat vero *Leonardus* hic in Coenobio et Academia *Vienn.* poſt Sec. XV. medium. Plura ad Cod. DLXXXVI. et ſeqq.

II. *fol.* 19. *Incipit Prologus in librum de apibus. Quem bonum vniuerſale vocant. Reuerendo in chriſto patri fratri humberto magiſtro ordinis predicatorum Sacerdos humilis, cujus nomen ad preſens non vrget neceſſitas nominari* &c. *Thomas* is eſt *de Cantimprato*, vulgo *Cantipratanus*, in *Brabantia* natus, O. P. Sec. XIII. Scriptor, qui Opus iſtud de Officio Praelatorum et Subditorum piis fabellis pro aevi genio adſperſum *Libris* II. circa an. 1261. exegit. Agunt de eo *Quetifus* T. I. p. 251. *Foppens Bibl. Belg.* P. II. p. 1131. *Fabric. Bibl. med. et inf. Lat.* L. 19. p. 247. Non tamen Verſionis *Belgicae* meminere, quae teſte *Gerdeſio Floril. Libb. rar.* p. 45. et *Viſſero* in *Naamlyſt* f. Catal. Editt. in Belgio Sec. XV. factar. p. 26. lucem vidit *Zwollis per Petr. van Os* 1488. f. Codici noſtro tantum ineſt *Liber* I. in cujus calce lego: *Sciant Fratres cariſſimi Quod cum Liber de Apibus Rarus exiſtens diu non poterat a nobis obtineri ad tranſcribendum propter quedam &c. Tandem tamen ad inſtantiam affectuoſam fratris leonardi &c.* (ejus qui ſupra) *Dominus Magiſter Martinus abbas Scotorum benedicte memorie procurauit nobis Exemplar ſecrecius.*